

exteriore columnas doricæ cum epistylis, & ornamentis ex ratione modulationis doricæ perfectas. Latitudines autem earum ita oportere fieri uidetur, uti quanta altitudine columnæ fuerint exteriores, tam latitudinem habeant ab inferiore parte columnarum extremarum ad medias, & à medianis ad parietes, qui circumcludunt porticus ambulationes. Medianæ autem columnæ quanta parte altiores sint, quàm exteriores, sed aut Ionice aut corinthio genere deformantur. Columnarum autem proportionibus, & symmetriæ non erunt iisdem rationibus, quibus in ædibus sacris scripsi. Aliam enim in deorum templis debent habere grauitatem, aliam in porticibus, & cæteris operibus subtilitatem. Itaque si doricæ generis erunt columnæ, dimetiantur earum altitudines cum capitulis in partes quindecim, & ex eis partibus una constituantur, & fiat modulus, ad cuius moduli rationem omnis operis erit explicatio, & in imo columnæ crassitudo fiat duorum modulorum. Inter columnium quinque & moduli dimidia parte, Altitudo columnæ præter capitulum quattuordecim modulorum, Capituli altitudo moduli unius, latitudo modulorum duorum, & moduli sextæ partibus. Cæteri operis modulationes, uti in ædibus sacris in libro quarto scriptum est, ita perficiantur. Sin autem ionicæ columnæ fient, scapus præter spiram, & capitulum in octo partes & dimidia diuidatur, & ex his una crassitudini columnæ detur, Spira cum plintho dimidia crassitudine constituantur, Capituli ratio ita fiat, uti in tertio libro est demonstratum. Si corinthia erit, scapus & spira, uti in ionica, Capitulum autem